

metipfos in capite cogitare sentimus; quæ sane omnia non contingerent, nisi anima immediate ageret in solum cerebrum, & ex solius cerebri motu tamquam occasione immediate pateretur, variasque susciperet sensationes; ergo animam in solo cerebro residere, sedemque propriam habere saltem probabile est.

Jam vero quænam sit pars cerebri, ex qua nervi omnes originem ducunt, & in qua proinde omnia nervorum initia concurrunt, adhuc incertum est. Quidam arbitrantur nervos omnes convenire in centro ovato, quæ est pars quædam ovalis cerebri; sed id certo non constat. Cartesius existimat nervos omnes originem ducere ex glandula pineali; hæc autem opinio multis observationibus refelli potest: 1. Enim reperti sunt homines, qui in Cerebro glandula pineali carebant. 2. Teste Willifio medico Anglo; fuit homo æger ex hydrope cerebri, & e loco suo deciderat glandula pinealis, nihil tamen perturbato sensuum officio; in aliis obliterated omnino fuit, in nonnullis lapidea, absque ulla sensationum perturbatione; itaque id unum certum videtur, nervos omnes originem ducere e cerebro. Verum observandum est, compressa cerebri substantia medullari, voluntariam musculorum actionem suspendi, memoriam sensationesque extinguere, vigentibus tamen respiratione cordisque actione. At compressa cerebelli substantia, respirationis cordisque motus sistitur, Unde colligitur nervos motibus voluntatis destinatos ex cerebro proficisci, ex cerebello autem oriri